De
Medicamentorum Externorum Formulis.

304. Externae Formulae (115.), si materiem, consistentiam, praeparationem spectes, non magnopere ab Internis discrepant. Quapropter, etsi plures earum species numerantur, in singularum tamen enarratione compendio uti licebit, atque ex praemissa Internarum doctrina (116 ad 304.) lucem mutuari. Generatim vero inter sese differunt Externae, quod *Communes* aliae sint multis corporibus partibus, aliae *Propriae* parti tantum singulari. Hoc igitur ordine reliquum hujus historiae pertexam, de *Communibus* primum dicturus.

De
Formulis Externis Communibus.

De
Injectione.

305. Injectio, *Enema*, est liquor medicatus, qui in cava corporis, secundum vel praeter naturam foras patentia, plerumque siphonis ope, ad varios usus, infunditur.

306. Aures, Nares, Oculi, Os, Anus, Vesica, Penis, Uterus, Vagina, Vulnera, Abscessus, Sinus, Fistulae, cava (305.) exhibent, quibus Injectiones destinantur. De iis interim, quae Ori &

Ano

Ano dicatae ſunt, Gargarismate puta & Clysmate proprie dicto, poſtea ſigillatim agendum ſuadet ordo receptus (304.), & frequentior utriusque uſus.

307. Huc & retuleris *Chirurgiam Infuſoriam*, ſeculo ſuperiore tot moliminibus exercitam; quae tamen, dum hodie exolevit, nos porro non morabitur.

308. MATERIEM liquoris (305.) praebent Infuſa (221.), Decocta (234.), Succi (245.), Emulſa (256.), Mixturae Mediae (282.), vel Contractae (293.). Unde, quidquid huc pertinet, ex locis citatis facile intelligitur.

309. DELECTUM hic ſola dictat indicatio & cognita materiae virtus medicata; quum coloris, ſaporis, odoris, nulla habeatur ratio. Hinc

α. Quae Internis crebro admiſcentur, Corrigentia (83. 85.) locum non habent.

β. Contra adhibentur & ea, quae vel ob injucunditatem, vel ob qualitatem noxiam, raro aut nunquam interno uſui ſerviunt: uti Olea infuſa, cocta, Unguenta, Urina, Hyoſcyamus, Mercurialia acerrima, &c.

γ. At ſumma tamen opus circumſpectione, ne injecta violentiora noceant: vaſa enim bibula ubique hiantia propius in ſanguinem vehunt: quin & nervi, tendines, oſſa, aliaeque teneri ſenſus partes nudius ſaepe poſita idem vel maximè poſtulant.

δ. Conſiſtentia uti paullo ſpiſſior hic fertur, ita

fluida

fluida tamen & aequabilis ſit oportet; tum ut ſiphunculum (305.), ſi quo opus, minus obſtruat liquor; tum ne intermixta ſolida, ſcabritie ſua, incommodent. Tenera igitur vel tenuiſſimè laevigata requiruntur ſicca & ſolida, quae ſolvi nequeunt. Eſt & ſaponi locus, ubi oleoſa aqueis miſceri debent (284. ζ.).

ε. Quandoque & unguinoſis & balſamicis utimur, quae frigore plus minusve ſolideſcunt. Haec tamen non, niſi apto prius menſtruo, aut calore, liquefacta, injiciuntur.

310. ORDO idem hic obſervatur, quem variae liquoris (308.) naturae proprium locis ibid. citatis indicavimus.

311. DOSIS, vix in genere determinanda, pro cavi (306.) magnitudine, liquoris injiciendi efficacia, & ſcopo Medici, diverſis, plurimum diſcrepat. Alias una vel altera guttula ſufficit: neque tum adeo ſiphone opus: quod circa Aures uſu venit. Alias drach. j. unc. ß. j. ij. iv. & plures ſimul injiciuntur. Saepiſſime exundatio cavi terminum ponit.

312. QUANTITAS GENERALIS, aeque parum definita, ex doſis (311.) mole, & injectione tardius, citius, repetenda, brevius, diutius, continuanda, facile colligitur.

313. PROPORTIONEM ingredientium mutuam docent, quae de hac dicta ſunt in hiſtoriis liquorum hic uſitatorum (308.), comparata cum Delectûs regu-

regulis (309.). Addo saltem, doses internas efficaciorum ad triplum, quadruplum, & ultra, saepe hic augeri. Cave tamen, ne quid nimis (309. γ.). Historia Medica docet, multa ventriculum innoxie ferre ac superare, quae pessime adficiant, sicubi aut proxime in circumeuntes humores invecta, aut sensilioribus aliis partibus nudius adplicata fuerint.

314. SUBSCRIPTIO est, qualis formulae, quae huc adhibetur (308.) Ex ejus ergo historia intelligitur. Aliquando tamen additur. *F. Liquor pro Injectione.* Injectio ipsa quum rarius, nec nisi Clysmatum Intestinalium, pharmacopoeo committatur perficienda, hujus non est loci.

315. SIGNATURA, praeter titulum formulae, (113. γ. 305. 314.), explicat & illa, quae ad ejus pertinent adplicationem; quum haec plerumque vel aegro ipsi, vel adstantibus, vel & chirurgo, demandetur. Unde injungitur

α. Frigidus, tepidus, an calentior sit injiciendus liquor. Frigus, plerumque infestum corpori, rarissimè hic usu venit, quibusdam tamen, ubi repellendum, adstringendum, roborandum, placet. Tepor, naturali hominis sani similis, omni parti amicissimus, ubique ferè conducit: praeterquam quod materiem injiciendam quoque fluidiorem, hinc penetrabiliorem, reddat. Calor intensior haud minus, ac frigus, urendo saepe nocet.

β. Injectio fit vel solo stillicidio, cum cavitas satis aperta, pronus defluxus, & parva simul injiciendi

di quantitas (311.) eſt, nec ad hujus actionem excitandam motus validior requiritur: vel inſtrumento adpropriato, ſi contraria modo dictis obtinent. Siphones variae magnitudinis & materiei, emiſſariis variè tenuibus & figuratis inſtructi, pro cavi & liquoris injiciendi diverſitate, hic ex uſu ſunt. Vaginae & Utero *Metrenchytes* ſervit. Injectio in Veſicam Cathetere tubulato juvatur.

γ. Situs aegri aut partis, admittendo liquori commodus, ſub injectione quandoque commendandus eſt; qui etiam vel aliquamdiu ſervatus, vel aptè mutatus poſt injectionem, liquori diutius detinendo, ejusve actioni promovendae conducit.

δ. Sunt & alia poſt injectionem obſervanda, cum vel in cavo relinquitur injectum, vel ſua functum actione citius, tardius, iterum ejicitur. Obthuratio oris cavi, quies, agitatio apta liquidi cavo contenti, &c. huc pertinent: quorum tamen nimis multa varietas eſt, quam ut in regulas generales cogi queant.

ε. Monendum hic denique, quantum ſimul, quo tempore, quoties, quousque, &c. injiciendum: quae omnia facile ſuo ex ſcopo limitat Medicus.

ζ. Cave tamen in his maximè, ne decori vel ſecreti regulam (113. ϑ.) excedas.

316. Usus Injectionum multifarius eſt, praeprimis chirurgicus, aetati nulli inimicus, abſtergendi, diluendi, eluendi, mundandi, emolliendi, reſolvendi, demulcendi, adſtringendi, aperiendi, conſolidandi, &c. ſcopis adcommodatus. 317.

317. SPECIMINA ſunto

*

Clyſma Auriculare, Ulceri intra Meatum Auditorium abſtergendo, mundando, aptum.

℞. *Urinae Homin. ſan.* unc. iv.
Sapon. Venet. ſcrup. j.
Tinct. Myrrh. gutt. xl.
Mell. Roſar. drach. vj.
M.

S. *Hujus liquoris tepidi, quantum cavo capi poteſt, quotidie bis injiciatur in Aurem aegram ſupinatam, ac detineatur per aliquot minuta, dein Aure prona rurſus emittatur.*

*

Aliud Auri ſordibus induratis obſtructae conveniens.

℞. *Ol. Amygdal. Dulc.* drach. ij.
Amaror. drach. j.
Fell. Lucii Piſcis. drach. ß.
Exacte M. D. ad Vitrum.

S. *Guttae* vj. *ter de die inſtillentur Auri ſupinatae, detineantur goſſypio immiſſo. Idem* & Antihelminticum *eſt.*

*

Injectio ad Cruorem coagulatum, extravaſatum, diluendum. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 75.

℞. *Mell. commun.* unc. ij.
Sapon. Venet. drach. ij.
Sal. Marin. unc. ß.

Aq.

Aq. Pluviae. unc. xij.

M.

S. *Hujus tepefacti q. s. injiciatur cavo cruorem continenti, leniterque conquassatum dein una cum cruore diluto rursus evacuetur.*

*

Emulsum Digestivum ad Fistulas curandas. Ibid. p. 93.

℞. *Terebinth. nativ.* unc. ij.
Vitell. Ovor. unc. j.
f. a. subactis admisce
Mellis commun. unc. ij.
Spir. Vini commun. unc. ß.
Aq. commun. unc. ix.

D.

S. *Calefactum & probe mistum injice.*

*

Injectio Mundans, Abstergens, Antiseptica, ad Fistulas & Sinus.

℞. *Fol. Scordii* man. ij.
Coq. ex Aq. com. q. s. per ½ horae. Colat unc. xij. admisce
Ung. Aegypt. unc. ß.
Mell. rosac. unc. ij.

M.

S. *ut prius.*

*

Decoctum Balsamicum, Consolidans Fistulam puram. Ibid. p. 94.

℞. *Ol. infus. Hyperic.* unc. iv.

Aloës.
Myrrhae.
Olibani. ana drach. ij.
Coquendo leniter, mista, subige cum
Vitell. ovor. unc. ij.
D.
S. *Parum calefactum in Fistulam injice.*

*

Injectio Detergens, ad Urethram Ulcere Venereo erosam. Ibid. p. 245.
℞. *Mell. Rosar.* unc. j.
Aloës puriss. gr. x.
Sal. Ammon. gr. iv.
Aq. stillat. Foenicul. unc. vj.
M.
S. *Liquor Mundans, cujus q. s. ter, quater, de die, in Virgam, sanie prius expressa vacuam, & pone locum ulceratum digitis compressam, ope siphunculi injiciatur.*

*

Clysma Uterinum, Foetus mortui, putrefacti, reliquias excutiens, & Matricem emundans.
℞. *Rad. Aristoloch.* unc. ß.
Herb. Scordii. man. j.
Summit. Rosmarin.
Absynth.
Flor. Chamaemel. ana man. ß.
Bacc. Laur. dr. vj
Coq. in Aq. com. q. s. per ½ horae. Colat. libr. ij. admisce *Myrrh.*

Myrrh. in Vino albo solut. unc. j.
Mell. rosat. unc. ij.
M. D.

℣. *Hujus liquoris calefacti ad teporem hominis sani* unc. vj. *bis de die, prudenter, per Metrenchyten injiciantur, ac aegra decumbente aliquamdiu retineantur.*

De Adspergine.

318. ADSPERGO est Pulvis (116.), qui superficiei corporis externae, varios ad usus, inspergendo adplicatur. *Pasma*, *Catapasma*, *Diapasma*, *Empasma*, *Sympasma*, veteribus audit.

319. Tenuitatis hic vix nisi primus & medius gradus (117. α. γ.) usu venit; quum moleculae crassiores nec facile adhaerescant, nec, ob minorem superficiem, adeo diffundantur.

320. MATERIEM, hujusque DELECTUM ac ORDINEM, facile intelligit, qui confert dicta (119. 120.) cum sua indicatione. Neque enim differentia hic datur ulla, nisi, quod saporis, odoris, coloris, specificae gravitatis nulla habita ratione, eligantur saltem scopo adcommodata. Unde & huc recipiuntur frequentius, quorum nullus vel rarus usus internus (309. β.). Cosmeticorum tamen alia ratio est, ut quorum praecipua virtus in odore ponitur (326.)

321. DOSIS nulla certa, nec pondere unquam determinata; utpote quam sola fere loci conspergendi amplitudo limitat. Hinc nec divisio in doses hic, uti (123. 128.), obtinet.